

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-  
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-  
vina essentia differentis  
notis characteristicis ordine  
et de generatione ac divi-  
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti  
ejusque aeterna processione  
a Patre et filio, et de Sa-  
cramentis tam veteribus quam  
recentioribus etc.

5 De peccato originali per  
difficiliam scripturam polysemam  
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum  
sanctum sive peccatum ad  
mortem

7 De unione hypostatica du-  
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et  
naturarum et eorum  
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-  
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-  
gio, et statu exalta-  
tionis

11 De justificatione ho-  
minis peccatoris coram  
Deo

12 De efficacia ministerii  
verbi et sacramentorum  
Dei Ministeriorum Ecclē-  
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-  
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et  
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-  
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus  
et potestate Ecclesi-  
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus  
illi Dei qui tollit peccata  
mundi

26 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

27 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

28 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

29 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

30 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

31 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

32 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

33 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

34 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

DISPUTATIO IX.

De

VNIVERSALI  
REDEMPTIONE TOTIVS  
GENERIS HVMANI

PER CHRISTVM

PARTA.

*Quam sub*

Auspicio divini Numinis

PRÆSIDE

LEONHARTO HVTTERO,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORE:

*Ad diem 14. Augusti, loco horisq.*

*consuetis*

defendet

ABRAHAMVS CALMBERGIVS

*Molsböiensis Tyrigeta.*



I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MDCCXCVI.





REVERENDIS, AMPLISSIMIS,  
*Clarissimis pietate, eruditione, prudentia  
& rerum usu prestantissi-  
mis viris,*

Dn. M. IOHANNI DINCKE-  
LIO, Ecclesiae Coburgensis Pastori, ac reliqua-  
rum in Illustrissimo SAXONIAE Du-  
catu Superintendententi Ge-  
nerali,

Dn. VOLCKMARO SCHERE-  
RO, I. V. D. & Illustrissimorum PP, Sa-  
xoniae partis Coburgensis  
ViceCancellario,


Dn. M. VVOLFGANGO HEI-  
DERO, Logicæ & Ethicæ in inclyta Salana  
Professori, Dn. Præceptori suo  
observando,

*Dominis Patronis suis debita observantia  
plurimum colendis*

Hanc de Vniversali Redemptione totius  
generis humani per Christum par-  
ta Disputationem

*Debitæ gratitudinis atq; observantiæ testandæ  
gratia dedit & offert*

ABRAHAMVS CALMBERGIVS  
MOLSLÖBIENSIS.



DISPUTATIO

De Universalis Redemptione totius generis humani per Christum  
parta.

THESIS I.



DE UNIVERSALI REDEMPTIONE totius generis humani contra Sacramentarios disputaturis, status cum primis Controversia rectè & formandus, & accuratè expendendus fuerit.

2. Ea.n. hominum istorum est *κωβεία*, ut eum partim in anifallacium distinctionum spectro involvere: partim miris *γλαυκώμασι*, imprudentiorum oculis objectis, tegere & occultare vel maximiè satagant.

3. Nonnulli ex ijs Statum his verbis concipiunt: An Christus pro omnibus & singulis hominibus, nemine excepto efficienter sit mortuus? Seu, An effectum mortis & passionis Filij Dei, liberatio nempe ab omni peccato & condemnatione, justitia, salus, & vita ad omnes redundet, quicumq; in Adam perierunt, sive illi credant, sive non?

Kimed.  
disp. habita  
11. Sept.  
A. 91. th. 1.

4. Vel, ut alius ex illis loquitur: An mortis Christi beneficium ad reprobos, ad canes, lupos, porcos, & impuros omnes, aequè ac ad electos pertineat; & omnes indifferenter mundentur à peccatis, & in Dei templum sanctificentur?

Tossanus,  
in thel. &  
antithel.  
cōtra anti.  
vilit. Misni.  
ca.

5. Cornicum nimirum oculos configentes Adversarij, eum fingunt statum, quo de (modo suo & loco & sensu accipiatur) nulla planè nobis cum ijs intercedit controversia.

U 2

Neg.



6. Neq̄ enim inter nos & ipsos quaesitum haectenus fuit: An mortis Christi beneficium ita indifferenter ad omnes pertineat, ut omnes à peccatis sint mundati, & iustificati, sive credant, sive non.

7. Piggianum hoc quondam fuit παράδοξον, nimis ἀθεόλογον; ita Redemptionem toti generi humano ipso facto ac opere esse collatam, ut per generalem remissionem peccatorum omnibus ex aequo condonata fuerint peccata, omnisq̄ Adami culpa in omnibus hominibus verè & propriè elata.

8. Quod horrendum dogma, & olim Ecclesia Orthodoxa explosum ac exterminatum esse voluit: & nuper hoc nomine à neotericis Schismaticis, puccianam illam impietatem ab orco quasi reducentibus, secessionem se facere, publicè testatum reddidit.

9. Verùm hoc erat κενώμενον: An Christus Servator particularem duntaxat Electorum, an verò universalem hominum, quotquot unquam vixerunt, vivunt, victuriq̄ sunt omnium; Redemptionem morte sua expedierit?

10. Affirmativam nostra tenentes Ecclesia, firmiter Ioh. 1, 29. credunt & confitentur, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum, cuius agnum Dei tulisse peccata mundi.

11. Neq̄ verò, uti Adversarij ogganniunt, consequens statim fuerit: Si Christus pro omnibus hominibus, verè est mortuus, ipsum quoq̄ effectum mortis & passionis ejus ad omnes pertinere, ac indifferenter omnes à peccatis mundatos & sanctificatos esse, sive credant, sive non.

12. Perperam enim ex consummatione operis, quo redempti sumus universaliter omnes, ad ipsam applicationem, qua fide constat, & Electorum est propria, fit collectio.

13. Nam uti prius illud καθολικόν esse, sacris ead-

Est

Et literis, intrepidè affirmamus: ita posterius hoc *μερξον*  
sive particulare, ac Electorum proprium esse, non inficia-  
mur.

14. Phrases ergò ista: Christus pro omnibus hominib.  
mortuus, tulit peccata totius mundi, non ipsam applicatio-  
nem meriti Christi, qua fit fide: Sed Consummationem &  
perfectionem operis, universaliter sese & ex aequo erga o-  
mnes homines habentis, propriè & directè respiciunt.

15. Haec verò: Mortis Christi beneficio mundari à pec-  
catis, inq. Dei templum sanctificari, ipsam applicationem  
meriti Christi, qua uti fide constat, sic Electorum etiam,  
non verò universaliter omnium est propria, intuentur.

16. Hinc plurimùm discrepantia, propositionibus  
istis intercedere, nec has cum illis confundendas esse: ne-  
mo pius est, quin intelligat.

17. Insignis ergò malitia & impudentia fuerit, quòd  
Sacramentarij, pro prioribus illis loquendi modis, quos  
agnoscimus, posteriores has, ad sensum nostrum minimè  
pertinentes, nobis affingere non erubescunt.

18. Ceterùm, ut ad Statum Controversiae redeamus,  
nùm nostra affirmativa; an verò Adversariorum nega-  
tiva verbo Dei consentiat, considerandum erit diligen-  
tius.

19. Sacramentarij ergo, etsi nec suam doctrinam a-  
pertè profiteri, nec nostram candidè recensere audent: so-  
vicum tamen instar, morbum animi haud obscurè pro-  
dunt.

20. Calvinus impios carne Christi vesci in Cæna, aut  
sanguinem ejus accipere negat; Quia Christi caro pro im-  
pijs non sit crucifixa, nec sanguis ejus expiandis eorum pec-  
catis effusus.

lib. contra  
Heshul. f.  
19.

l. 2. Misc. f.  
280.

21. Zanchius Christum propitiationem tantum pro peccatis electorum esse asserit, qui aut jam credant in ipsum, aut sint aliquando credituri.

Coll. Mötp  
f. 514.

22. Beza Christum scribit in sese recepisse tantum fidelium cum Deo reconciliandorum partes: Item: Intolerabilem sibi videri vocem, Christum esse mortuum pro damnatis.

Problem.  
f. 21.

23. Aretius scribere non veretur, Christum non omnium hominum, sed tantum Electorum Redemptorem esse: Non enim Christum datum esse omnibus Redemptorem, sed saltem ex omnibus ordinibus, aliquibus.

D. Hieron.  
Tom. 3 f.  
143.  
August. l.  
de hær. c.  
18.

24. Idem plane dicunt isti homines, quod olim heretici, Cainiani dicti asseruerunt, homines quosdam, quos σαρκικὸς carnales appellabant, nullo plane modo ad salutem pervenire posse, propterea quod peccata ipsorum sanguine Christi non sint purgata.

25. Atqui Scriptura Sacra tam horrenda blasphemiarum portenta serio detestatur: & Christum pro totius mundi peccatis mortuum esse liquido pronunciat.

Luc. 2, 10.  
Tit. 2, 11.

26. Angelus tempore nati Messia evangelizans pastoribus, Ecce, inquit, annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo: Et Apostolus gratiam Dei salutiferam scribit illuxisse omnibus hominibus.

Hebr. 2, 9.  
2. Cor. 5,  
15.  
1. Tim. 2, 6  
Ioh. 1, 29.

27. Siquidem Christus pro omnibus gustavit mortem: atq; unus pro omnibus mortuus, dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, tanquam agnus ille Dei tollens peccata Mundi.

Ioh. 3, 16.  
17.

28. Hinc Deus pater Filium suum in mundum misisse, in Scriptura legitur, non ut condemnaret mundum, sed ut servaretur mundus per eum: id quod Christus ipse, & Apostoli passim repetunt & inculcant. Ioh. 4, 42. 6, 51. 12, 47. 1. Ioh. 4, 14. 2. Cor. 5, 19. Ies. 53, 6. &c.

Quis



29. Quinimò D. Apostolus, sanguine Christi pacificata dicit esse omnia, sive quæ in terris, sive quæ in cælis Coloss. 1, sunt: ac tam latè meritum passionis & mortis Christi extendit, quam latè se extendit reatus Adæ, & introducta per ipsum condemnatio: Sicut, inquit, per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius justitiam beneficium redundat in omnes homines ad justificationem vitæ. Rom. 5. 18.

30. Ne autem in hujusmodi dictis, ex sententia Bezae, notam Universalitatis intelligamus, de generibus saltem singulorum, non verò de singulis generum: apertissimè D. Iohannes protestatur, Christum esse propitiationem, I. Ioh. 2, 2. non pro nostris tantum, sed totius etiam mundi peccatis.

31. Cujus enunciati Apostolici quò major & evidentior est perspicuitas, eò majus Sacramentariorum, illud depravandi, studium.

32. Bezae Mundi appellatione non universaliter; sed indefinitè (nimis inscitè loquens) humanum genus vult intelligi, & quidem ijs accommodata, qui in ipsum credunt. Coll. Montp. 6. 512.

33. Quid autem quæso hoc aliud fuerit, quàm Unitatis in partes instituere distributionem: ac Apostolum, imò ipsum Spiritum Sanctum otiose *ἑτερολογίας* insimulare: Quasi hic esset verborum Apostoli sensus: Christus non tantum pro electis, sed etiam pro electis est mortuus.

34. Absit autem quicquam hujusmodi de scriptis Apostolicis suspicemur: quin potius immota eorum stante auctoritate, D. Iohannem celebri illo suo *περὶ τῶν ἐν διχολομίαις* totius generis humani, Scripturæ usitatam, digitum quasi intendere voluisse, persuasissimum habeamus.

35. Cùm enim duùm sint generum omnes in mundo homines, p̄i nimirum, & imp̄i, seu fideles & infideles: nequæ tertium dari possit: *περὶ τῶν* ille, Christum non pro nostris

Α 4 tantum,

santum, piorum puta ac fidelium: sed totius etiam Mundi peccatis, ac proinde infidelibus etiam ac reprobis mortem oppetisse, ostendit.

36. Sunt alij ex grege Calvinistico, qui in Apostolico hoc  $\mu\epsilon\epsilon\iota\sigma\mu\omega$ , priorem terminum (nostris) electos ex populo Iudaico: terminum verò posteriorem (totius mundi) electos ex gentibus denotare fingunt.

1. Ioh. 5,  
13.

37. Verum frivolum hoc planè est, & responsione vix dignum: Siquidem constat Iohannem non Iudais peculiariter suam inscripsisse Epistolam, sed omnibus credentibus, sive toti Ecclesia, ex utroq; simul populo, Iudais & gentibus collecta.

38. Quo presupposito, priorem terminum  $\mu\epsilon\epsilon\iota\sigma\mu\omega$  (nostris) totam Ecclesiam ad quam scripserat, ac proinde tam gentiles quam Iudaeos respicere, manifestissimum evadit.

Zanch.  
Misc. l. 1. f.  
180.  
Bez. Coll.  
Montp. f.  
517.

39. Nimis verò  $\alpha\omega\upsilon\sigma\epsilon\lambda\omicron\nu$  illud Zanchij est glossema, qui vocabulum Mundi, pro optima Mundi parte, id est, electis solis accipiendum esse scriptitat: perinde ut Beza contendit, solam universalitatem Electorum & credentium, per Mundum, intelligendam.

40. Praterquam enim, quòd textui Apostolico, hoc commentum Sacramentarium, certum ac genuinum sensum turpiter adimit, manifestissima absurditate insuper laborare deprehenditur.

41. Quòd si enim ex hypothesi adversaria, Mundi terminus optimam Mundi partem denotabit; id est, electos: se verò suosq; filiolos D. Iohannes, sub illo termino non comprehendit: Consequens fuerit, Iohannem cum filiis suis in credentium & electorum numero non fuisse.

42. Quòd cum sine enormi impietate cogitari haud queat, invictè concludimus, termino Mundi non optimam  
Mundis

Mundi partem, sive electos, sed deteriorem, reprobos nempe & infideles exprimi & notari.

43. Eadem turpissima scotomia laborant pleraque sacramentorum interpretationes, seu potius depravationes, quibus perspicua Scripturarum dicta, de universalitate Redemptionis, & promissionum Evangelicarum testimonium perhibentia, in alienum sensum detorquere haud verentur: de quibus in ipso disputationis actu, cum Deo agemus accuratius.

44. Et quid multus opus est, cum Scriptura ipsa non Electorum (saltem ac fidelium, sed ipsam quoque speciem redemptorum impiorum, pereuntium atque damnatorum discrete explicet.

45. D. Apostolus graviter admodum hortatur Romas Rom. 14, nos, ne cibo suo perdant eum, pro quo Christus mortuus est: 15. & alibi, fratrem infirmum abusu libertatis Christiana perditioni tradi posse, propter quem tamen Christus sit mortuus, testatur. 1. Cor. 8, 11.

46. D. Petrus pseudoprophetas, celerem sibi accersere damnationis scribit interitum, eo ipso, quod abneget eum, qui mercatus est illos. 2. Pet. 2, 1.

47. Epistola ad Hebraeos fatetur eos, qui sanctificati fuerant sanguine Novi Testamenti, & refugerant ab inquinamento mundi per agnitionem Christi, posse his rursus involutos superari, ita ut D. Petro teste, posteriora illorum deteriora fiant primis. Heb. 10, 29. 2. Pet. 2, 20.

48. Qua vero ratione sanctificari reprobi isti potuissent unquam sanguine Christi, nisi eodem sanguine, pro ipsis quoque effuso, redempti fuissent.

49. Huc accedit, quod ne Deus quidem, citra iustitiae suae lesionem damnare in novissimo die posset reprobos ob incredulitatem, qua meritum passionis & mortis Filij, fide sibi

sibi applicare noluerunt, si, ex Sacramentaria hypothese, redemptos illos eodem merito esse, simpliciter & absolute noluisse.

50. Eadem fuit mens & sententia Orthodoxa etiam Antiquitati, qua sufficientiam meriti ac passionis Christi ita efferre fuit solita, ut vel unicam guttulam sanguinis Christi, pro totius generis humani redemptione satisfacere potuisse, affirmaret.

Ser. 114.  
de temp.

51. Divus Augustinus sic scribit: Indubitanter credimus, quod Christus totum mundum redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret, & quia debitum solus non habuit, recte fœnus misericordiae pro omnibus debitoribus erogavit.

Tom. 7.  
resp. 1. ad  
artic. falso  
sibi imposi-  
ti. os.

52. Idem Augustinus, hunc articulum, quod Dominus noster Iesus Christus, non pro omnium hominum redemptione sit passus, sibi falso impositum esse, graviter admodum conqueritur; eumque multis omnino refutat.

53. Quoad magnitudinem inquiring & potentiam precij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, Sanguis Christi redemptio est totius mundi.

54. Et profecto tanta vis est veritatis, ut vel ipsos Sacramentarios defensione teterrime hujus & flagitiosissime hareses, quod Christus non pro totius mundi, sed electorum saltem peccatis fuerit mortuus, quodammodo predeat.

55. Alij enim hac in parte à reliquis suis contribulibus secessionem jampridem fecerunt: alij vero, quorum mentes Deus hujus seculi erroris fascino gravius irretitas occupat, miris ingenij suum placitum tegere & palliare student.

56. Grynaeus Apostata, ipsumque secuti alij, in eo potissimum

zissimum erroris quarunt latibulum, ut dicant, Christum  
sufficienter quidem, sed non efficienter pro peccatis totius  
mundi satisfecisse.

57. Et forte, si consuetum Ecclesia sensum retinerent,  
satisfactioni nimirum Christi universali, non ubivis fi-  
dem hominum respondere, nec partam liberationem debi-  
to sibi modo omnes applicare, tolerari omnino phrasis ist-  
haec posset.

58. Verum cum Ecclesia sic loquentes, sensu minimè  
utuntur Ecclesiastica, sufficienter quidem Christum pro  
omnibus mortuum esse asserentes, id est, Morti Christi non  
deesse quidem valorem expiandi peccata hominum, si ad  
hoc à Deo destinata fuisset: sed non efficienter, hoc est,  
hanc voluntatem Deo de universali redemptione omnium  
hominum, per mortem Christi, nunquam ab aeterno consti-  
tuisse, neq; hoc in animum suum unquam induxisse.

Gryn. disp.  
de orth.  
fid. class. 1.  
th. 12. 13.

Beza parte  
2. resp. ad  
acta Coll.  
Montp. fa  
217.

59. Atqui verò non quid fieri potuerit, sed quid verè  
factum sit, controversitur, & ex scriptura sacra expli-  
candum fuerit.

60. Et considerent pia mentes, qualis afflictorum &  
gravioribus tentationum fluctibus obrutorum hominum  
ex Sacramentaria hac Theologia, futura sit Consolatio:  
cum meritum Christi saltem Electos attinere: cum pro-  
missiones Evangelicas particulares esse, ac proinde Chri-  
stum non pro omnibus, sed saltem pro paucis ex omni orai-  
ne aliquibus intercedere apud patrem, audire cogantur.

61. Nihil profectò hoc aliud fuerit, quam consolatio-  
nem in absinthium convertere: & desperabundis funes  
desperationum neetere.

62. Neq; est, ut ad fidei testimonium provocent ad-  
versarij, & ex eius praesentia, iudicium de gratia Dei facis-  
endum esse, obstrepant.

Haud

63. Haud n. raro, & praesertim in gravioribus ten-  
tationibus ita fides labascit & concutitur, ut de promissa  
Pl. 31, 23. gratia etiam quantumvis piij interdum addubitent: iuxta  
illud Davidis: Dixi in excessu meo, excisus sum ab oculis  
tuis.

64. Nisi ergo universalitas Redemptionis Christi sit  
firma & immota, & ex ea sola fides labascens vires resu-  
mat: penitus intercidat necesse est.

65. Ogganniunt verò Adversarij, Si Christus est pro-  
pitiatio factus pro totius mundi peccatis, quò fiat, quòd non  
omnes salventur?

66. Sed respondemus, Causam non in occulto quodam  
& absoluto reprobationis decreto, esse quarendam: id quod  
in disputatione subsequente, qua de praedestinationis erit  
articulo, pluribus confirmandum erit.

67. Verùm causam in ipsis esse hominibus, qui satis-  
factionem Christi fide non apprehendunt, nec ijs utuntur  
medijs sive organis, quibus Spiritus Sanctus ceu ὀχήματα  
quodam, in operatione fidei in hominibus, ex ordinatione  
Dei uti solet.

Marc. 16,  
16.  
Ioh. 3, 18. 68. Proinde, quia non credunt in Christum, mirum  
non est, illos fructu universalis promissionis orbari, & ple-  
nissima satisfactionis Servatoris, quoad applicationem,  
non reddi participes.

69. Quibus omnibus ita constitutis, meritò Sacra-  
mentariorum dogma, de particulari redemptione seu satis-  
factione Christi Servatoris, toto pectore detestamur & ab-  
ominamur.

70. DEVS Opt. Max. sanctificet nos in veritate sua,  
& hac immania Calvinisticarum blasphemiarum mon-  
stra ac portenta, à scholis & Ecclesiis magis magisq; pater-  
nè arceat.

A M E N.









34



DISPUTATIO IX.  
*De*  
UNIVERSALI  
MENTIONE TOTIVS  
GENERIS HVMANI  
PER CHRISTVM  
PARTA.

*Quam sub*  
Auspicio divini Numinis  
PRASIDE  
NHARTO HVTTERO,  
S. THEOLOGIAE  
DOCTORE:

*Ad diem 14. Augusti, loco horisq.  
consuetis*  
*defendet*  
AHAMVS CALMBERGIVS  
*Molslobiensis Tyrigeta.*



I E N E  
TYPIS TOBIAE STEINMANNI.  
ANNO MDCCXCVI.

